



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historia Ioannis Cochläei De Actis Et Scriptis Martini Lvtheri Saxonis

Cochlaeus, Johannes

Parisiis, 1565

Acta & scripta Lutheri, Anno Domini. M. D. XXVII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29789

*Erasmi con-
tra Luth. &
Zuing. prote-
statio.*

tam multipliciter infames, euangelici nequam
criminosi ac scandalosi Ecclesiarum futes, quibus
eiusmodi cum veritate obiciuntur. O que scan-
dala, quas infamias pio natali solo nostro irroga-
tis, vestrisque parentibus in terra sepultis. Perun-
gant obsecro hec lamenta in Thronum diuine
Maiestatis, ad vestras tandem iniurias vlciscen-
das. Hæc & id genus plurima Murnerus, que
referre longum foret. Cum autem Zuingli-
ni falso iactarent, Erasmum quoque Rotero-
dum (qui Basilea tum degebat) circa Eucha-
ristiam ipsis consentire. Erasmus eam calumnia
scriptis ad Heluetios litetis constantissime con-
futaui. Neque tamen cessauit per eam disputa-
tionem dissensio, Altius enim in cordibus mal-
torum radices egerat error, quam vt vllis ratio-
nibus euelli possit, Et ipsi Lutherani, Zuinglius
& Oecolampadius, iam etiam contra ipsum
Lutherum scribere cœperunt. Quorum contem-
tio in hodiernum vsque diem perdurat.

*Acta & Scripta Lutheri,
Anno Domini.*

M. D. XXVII.

*Libellus Lut.
contra Regem
Anglie.*

Lutherus ad graue ac eruditam Regis Anglie
Epistolam perpetuo tacuisset, nisi in Ger-
manicum translata fuisset à vicino suo, Hye-
ron. Emsero in lucem edita. Ne igitur populus Teu-
thonicus

thonicus, quem sibi velut peculium & hereditatem suam, vt olim Deus populum Israël, vindicabat: tam forti ac lucida confutatione reuocaretur ad fidem antiquam, scripsit illi breuem libellum Teuthonicum. In quo suæ doctrinæ firmitatem iactitabat, ac ferocissime prouocabat contra se, non solum Papistas (vt vocat Catholicos) & Principes, verum etiã Suermeros, suos paulo ante socios & amicos aureos. De Doctrina quippe mox ab initio libelli, gloriabatur in hæc verba contra Regem Angliæ.

Incessit (inquit) conuitiis & libellum meum, contra liberum Arbitrium scriptum. Quem tamen Erasmus Roterodamus, Regis illius optimorum amicorum vnus, coactus est dimittere intactum, atque adhuc intactum relinquet: quamuis plus scientiæ ingenii que vno in digito habeat, quam Rex Angliæ habet cum omnibus sciolis suis. Et Trotz nõ solum regi & Erasmo, verum etiam eorum Deo, omnibusque Diabolis, ne eum libellum mihi recte iustè que repræhendant &c. Deinde in Principes ita scurratur. Bone Deus (inquit) quam diligenter subtilibusque modis quærunt me. An non sum ego preciosus ac nobilis vir? Immo certe, in Mille annis vix nobilior fuit sanguis, quam Lutherus. Cur ita conice tu ipse. Tres iam Pontifices Romani, Tot Cardinales, Reges, Principes, Episcopi, Presbyteri, Monachi, magnique Ioãnes, eruditi, totusque mundus: Hi omnes super sanguine Lutheri proditores, latrones atque car-

T

Trotz, non est cõtemptus & prouocatio nis, quasi nec ausint nec possint.

Scurrilitas Lutheri in Principes.

*Vxoratus Mo-
nachus cū sua
Moniali vi-
uit sine scan-
dalo, si ei cre-
ditur, Phil. 4*

*Contemptus
Lut. in Prin-
cipes.*

nifices sunt, aut certe libenter esse vellent. Sed
& Diabolus cum suis, Vah te, Ego ipse sangui-
nem meum odi, quando hæc cogito. Quod ego
tales Magnificos ac præstantes carnifices ac la-
trones habere debeam. Turcarum imperatori
deberet talis exhiberi honor, nõ eiusmodi pau-
peri mendico, qualis ego sum. Et infra. Coram
mundo ipse quoque probus esse volo, & sume-
adeo, vt non sint digni mihi calciamenti conti-
giam soluere, neque cum veritate me convin-
cent, quod coram mundo vlli hominum scan-
dalose viam & agam, sicut ipsos bene cõuin-
cam. Breuiter, nemini sum nimis humilis, nemi-
ni nimis superbus: Quemadmodum Paul^{us} ait.
Scio superbire, scio & humiliari: scio egere,
scio & abundare. Quantum ad doctrinam meam
attinet, sum ego Diabolis, Cæsari, Regibus,
Principibus, totique mūdo multo multo mul-
to nimis proteruus, firmus ac superbus. Quan-
tum vero ad vitam meam attinet, sum etiam con-
libet puero humilis atque subiectus. Qui hoc
ante nesciuit, is nunc audiat. Et rursus. Quan-
tum ad officium doctrinamque meam, & quo
ad vita mea illi conformis est nemo vllam a me
vel patientiam vel humilitatem expectet: præ-
fertim Tyranni, & persecutores Euangelij.
Hic enim debent me pro viuo sancto habere,
hic aliud non fiet: Si nõ volunt, oportet, quã-
diu ego illi adhæsero. Quod me Deus adiuuet,
vsque in finem, alio qui res perditæ est. Quod si
doctrina mea non alios haberet inimicos quã
Regem

Regem Angliæ, Ducem Georgium, Papam, & socios eorum, miseras bullas aquæ, iam pridem consuluissem causæ cum vna particula de Patet noster. Cum autem alij ad sint, reputo tales inimicos, velut recentes lendes, quæ priusquã inde pediculi nascuntur, inanes aridæq; sunt pelliculæ. Ego autem eiusmodi lendibus bene faueo, vt interim glorientur & cantent. Hic residemus nos lendes super caput nobilissimi animalis in terra, in crinibus eius. Nõ sumus vilis prolapia, pediculi sunt nostri parentes, magni illi gigâtes, qui etiã Romanũ Imperatorẽ Syllam interfecerunt, multosque alios. Quid ergo ad nos, sit Lutherus mendicus? Verum est, lendes estis, pediculi autem nondum estis facti. Ah quid tamen est mundus ad Deum, & ad Dei verbum? exiguus puluis est, inquit Iesaja: hoc adhuc minus est, quam lendes. Et infra. Sed quid ego vterius irascor Papistis, qui mihi publici ac ex indicto hostes existunt, & quicquid in me perpetrant, secundum ius hostilitatis faciunt, sicut decet. At isti primum mihi sunt vere noxij, tenelli filioli mei, fraterculi mei, aurei amiculi mei, seditiosi spiritus ac Suermeri, qui, vt mihi videtur, neque de Christo neque de Euangelio, aliquid præclari sciũssent, si nõ prius scripsisset Lutherus, & per suam nimirum sciẽtiam ex Papæ Tyrannide in talem libertatẽ lucẽq; difficulter se afferuissent: Aut si facere potuissent, non tamen fuissent auti rem aggredi & attentare. Et iterũ. Ego (inquit) hæctenus omni-

T ii

Ridicula comparatio Principum ad lendes.

Querela Lut. contra aureos amicos suos.

fariam fere aduersa expertus ac perpeffus fueram: At meus Absalon, puer meus dilectus, patrem suum Dauid nondum effugauerat, ignominiaque affecerat. Meus Iudas, qui discipulus Christi perterrebat, ac dominum suum prodebat, quod suum erat in me nondum compleuerat, & hoc quoque nunc in actu est.

*Contra aulas
Principum.*

Hunc Lutheri libellum Ioannes Cochlaeus in Latinum vertit, vt Angli & Erasmus intelligerent, quidnam respondeat miser homo ad graues & elaboratos ipsorum libros: Cunque in eodem libello suo haec quoque verba ceteri vanitatibus suis adnexuisset. Quod ego (inquirit) fumosus Cinerarius in Aulis Regum Principumque quaerito: vbi scio, Diabolum supremo residere loco, summumque ibi eius esse thronum. Ego Diabolum probum reddere potero absque ipsius voluntate, & apud eum inuenire Christum: merito ergo tale mihi reddit praemium. Redi bone Luthere, & adhuc semel quaere leonem Baptistam in Aulis Regum, vbi mollibus vestiuntur: Inuenies eum ibi opinior. Ouis sum & ovis maneo, quod tam facile credo, ac me induci dirigique permitto, ad ludendum seu blandiendum eiusmodi Domicellis, & non multo potius meum sequor sensum: Ita, vt si Tyrannum cuipiam aut sublimer docto vnum ictum dedissem, ipsique ob id irascerentur, ego Triginus ictus subinde adderem, in contritionem ac penitentiam. Sic scirent, quomodo ego reuocodoctrinam meam. Ad haec Cochlaeus ita respondit.

dit. Quando Lutherus in Episcopos inuehebatur, erant ei tunc Aula Principum velut sanctissima Monasteria, vbi Christus supremo assidebat loco. Nunc vero dum irascitur Regi Angliæ, Ducique Georgio: Aula Principum sunt eidem throni Diabolici, vbi Diabolus supremo residet loco. Quemadmodum & Erasmus erat ei doctissimus ac maximus Theologus, quam diu sperabat eum suarum fore partium. Quam primum vero vidit, eum alterius esse opinionis, mox bonus Erasmus reddebatur omnibus etiã Sophistis indoctior. Idem & Carolstadius plenus erat spiritu Dei, quam diu Luthero cõsentiebat: mox vero, vbi vel vno in articulo ab eo dissentit, factus est Diabolorum, spirituumque seditiosorum plenissimus. Attamen libenter audire velim, vbinam Lutherus Christum tandem inuenire intendat. Certe iam pridem eripuit eum Papat, Cardinalibus, Episcopis, presbyterisque & Monachis, eumque ex omnibus Episcoporum Curis Monasteriisque effugauit. Neque vero apud rusticos eum relinquere potest: scribit enim eos Diabolis esse repletos. Quod si vera sunt & ea, quæ de Mercatoribus scripsit: nõ poterit profecto ne ibi quidem verum inuenire Christum. Existimabat autem aliquãdiu, quod apud Poetas Græculosque suos inuenturus esset, dum domestici ipsius aureique essent amicali. Quum vero nunc non omniquaque consentiant ei, facti sunt Suermeri, ac seditiosi spiritus, ac magis perdidere Christum, quam

Verba Cochlaei contra Lut. de eius incõstantia.

Christus Lutheri vbi manet.

Papista. Vbi igitur bonum Christum tandem inueniet aut relinquet? Nusquam profecto alibi, quantum conicere licet, quam apud Moniales Excucullatas; quas ipse profugas domo suo in monasterio recepat ac retinet: Quæ & ipsius voluntati omni quaque subseruiunt, nec vlla in re profus aduersantur ei. In his ergo habitat Christus Lutheri, in his opetatur miracula: Quemadmodum Lutherus ipse de quadam illarum elegantem libellum, quomodo illi Christus suus è monasterio abeundi auxilium tam miraculose præbuerit finxit ac ædidi. Erasmus vero, vbi acceperat Latherum in isto suo libello vane gloriari, quod Erasmus quoque de libero arbitrio nihil posset ei respondere, crebris preterea literis amicorum rogaretur, vt quã inlyperaspista responsionem pleniorẽ pollicitus fuerat, eam aliquando præstaret ac æderet insignem ac bene prolixum ædidi librum. In quo sane cuncta Lutheri de Seruo arbitrio argumenta, tam neruosa ac dilucide dissoluit, vt neq; Lutherus, neq; aliarum sectarum quispiam, hæcenus attentauerit illi respondere. In eo igitur libro inter cætera multa, hanc generalem in Lutheri libros sententiam tulit.

bo Videor (inquit) hoc mihi in Lutheri scriptis animaduertisse. Non semper est intentus iis, que scribit: Nec id fieri potest, vt hominis animus, perpetuo sit intentus alicui negotio, semper tamen illi currit calamus. Itaque quo crescat volumen, plurima incidunt, que nihil aliud quam chartas

Sap. fol. 78,

Liber Erasmi Tertius de libero arbitrio

Qualis scriptor Luth.

chartas explet. Nūc repetit plus decies dicta, commutatis tantum verbis: Nunc concionatur, versans in locis communibus: Nunc asseuerationibus explet chartas: Nunc ineptis salibus & in facietis facietis eximit tempus: Nunc quicquid offertur aut succurrit animo, quocumque modo detorquet ad causam suam, ac præter cōuitia, quibus natura scateret, habet verba quidam veluti magica, quæ non ratione, sed vehementia quadam afficiant lectoris animum, vel imbecillum, vel parum eruditum. In quibus quoniam imaginatio plurimum valet, iuxta Physicos, adeo, vt frequenter morbos graues & mortem patiant: sit, vt quodammodo assentur spiritu, vt inam sancto. Irē nāus tradit, arte simili plurimis imposuisse Valentinum ac Martionē, non mulierculis tantum, sed & iudicibus. Habebant verba quædam barbara, incognita, vehementia, imperiosa: Ea mita fiducia pronunciantes territabant iudices, & infirmos rapiabant in suam sententiam. Mulieribus etiā prophetiæ spiritum dabant, iterum atque iterū iubentes, præcipientes, imperantes, vt tantum aperirent os: asseuerantes, prophetiā fore quicquid dicerent. Quid quæris? incalecebant magicis verbis imbecilles animi, & afflabantur, nō aliter quàm qui commenticiis vocibus adiurati, intumescunt fremuntque, perinde quasi veris Exorcismi verbis premātur. Huiusmodi vocibus quum omnes Lutheri libri, tum hic præcipue scater: Addit aris Dodonæi loquacitatē,

T iij

Qualia verba Valenini & Martionis.

Loquacitas Luth.

aut si quid illo est loquacius, ut lector, quam
 sanus & integer, tamen hoc tædio delasseretur. Et
 infra. Quid autem stultius, quam cum eo dispu-
 rare, qui nihil admittit, nisi scripturæ verba: sed
 harum interpretationem vni sibi reseruās: Im-
 mo qui sibi permittit comminisci, quoties cõ-
 modum est, quod non magis è scripturis elici
 potest, quam è pumice lac. Et tamen sibi videtur
 mirificus disputator: Atque ita re gesta, sibi ca-
 pit Encomium. Et post multa. Quod testimo-
 nium habeat in mundo, norunt omnes. Si mihi
 persuasum esset, illum Dei causam agere, nullus
 est in orbe tam potens Monarcha, qui me pe-
 pelleret, ut vel tria verba scriberem aduersus eum
 citius abirem in ignem. Et fieri potest, ut ego,
 vel ob eruditionis inopiam, vel ob ingenij ta-
 ditatem, parum subtiliter iudicem de dogmati-
 bus. Verum hoc me docet certe sensus com-
 munis, fieri non posse, ut sincero pectore cau-
 sam Dei tractet, qui concitatis tantis in orbe tu-
 multibus, ludicæ deliciatur sannis ac dicitur,
 nec vnquam expletur. Nec stultitia carere po-
 test tanta insolentia, quantam adhuc in alio vi-
 dimus nemine. Nec cum Apostolico spiritu cõ-
 gruit tam scurrilis petulantia? Immo hoc ipsum
 est Dei causam negligenter agere, ineptis dicitur
 riis irritare Principes ac doctos indecora voce
 Trotz. Ista diligentia summa fuit negligentia.
 Si vere diligens esse cupiebat in opere Dei, Pau-
 lum oportuit imitari, qui quum esset in omni-
 bus liber, omnium se seruum fecit, qui omnia
 fiebat

*Causam Dei
 non tractat
 Sincere Lush.*

fiebat omnibus, qui per omnia placebat omni-
 bus: qui non querebat quæ sua sunt, sed quæ Ie-
 su Christi: qui non sequebatur quod licebat,
 sed quod expediebat: qui abstinere iubet ab om-
 ni specie mala, hortans, vt Christianorum mo-
 destia nota sit omnibus hominib⁹. Et post pau-
 ca. Quale est Euangelium quod recipit ta-
 les, quales nimium multos nouimus, quod a-
 gnoscit decoctorem, scortis, alea, comellationi-
 bus, ocio luxuque perditum, nihilque sibi non
 permittentem, modo sibi nomen Equitis possit
 affingere, & huius tituli ius esse putat, deludere
 creditorem. Et si repetat mutuū, pro hoste dū-
 cere: Et quories vrget inopia, huic aut illi, vnde
 spes est prædæ, bellum indicere, publicumq; la-
 trociniū belli nomine fucare. Principi ius non
 est indicere bellum, nisi consilio adhibito, & is
 qui pedem vbi ponat nō habet, bellum indicit
 cui libet. Ac talibus est locus in nouo Euāgelio,
 quibus apud Ethnicos in ciuitate moderata lo-
 cus non esset. Hoc satis est, approbat mea dog-
 mata. Quid refert de factis, modo adsit fides?
 Fateor olim & tales recipiebat Euangelium, sed
 resipiscentes, sed transformatos. Nunc quidam
 adeo non corriguntur per Euangelium, vt po-
 tius videantur deteriores. Nec fit, vt peccare de-
 sinant, sed vt peccent impunitius. Iam si quid
 erat corrigendum in moribus, aut immutandū
 in ritibus, id agendū erat ax autoritate magna,
 aut certe ex consensu plurimorum, deniq; pau-
 latim: Neque quicquam submouendū ni prius,

*Euangelium
 Luth. pessi-
 mos quosque
 recipit.*

*Temerari a
 rerum muta-
 tio.*

paratum esset melius aliquid, quod in illius locum succederet. Nunc quidam sic rem aggre-
diuntur, quasi possint repente nouum orbem
derepente condere. Nihil non displicet, consti-
tutiones, Ordines Ecclesiæ, oleum, rasura, Mis-
sa, cantus, templa, imagines, vestes, scholæ, Cæ-
remonia, studia, literæ. Quid autem pulchri vi-
dimus succedere? Nunquàm tam bene fuit ac-
tum cum rebus humanis, nec vnquam agitur
in hoc seculo, quin multa sint digna correctio-
ne. Verum ad quædam præstat conuiuere, quæ-
dam condonanda sunt simplicium affectibus.
Quæ ferri non possunt, aut tolerari debent, si
plus habitura videtur discriminis tentata cura-
tio, quàm habet ipse morbus, aut arte sensim
corrigenda: sic, vt non abiici, sed meliorum suc-
cessione protrudi videantur. Hanc moderatio-
nem si Lutherus adhibuisset, habuisset & Prin-
cipes & Episcopos, & ex Monachis ac Theolo-
gis, quos nunc habet infensissimos, optimum
quenque si bi fauentem. Hæc loquor, fingens
causam esse per omnia talem, qualẽ videri vult
Lutherus. Profitedatur enim sese Ecclesiæ col-
lapsos mores, ac nonnulla dogmata magis ad
commoditates hominum, quàm ad Christi glo-
riam facientia, reuocaturum ad sinceritatem.
Hoc negotium iam olim suspirabant optimi
quique: Sed quoniam perspiciebant, nisi Deus
afflasset animos Principum, sine graui publicæ
tranquillitatis concussionẽ tentari non posset
optabant potius quàm sperabant. Quod sum-
mo

*Luth. seditio-
ne affectasse
videtur.*

mo quidem orbis applausu Lutherus aggressus est, sed ita se gessit, quasi seditionem, quam in primis vitatam oportuit, affectasse videatur. Nunc non libet commemorare, quales habeat plerosque discipulos. Illi satis est, quales quales sunt, quod approbant ipsius dogmata. At Paulus ne cibum quidem capi vult cum fratre, qui nominatur avarus, aut scortator, aut maledicus. Certe istorum multi ad publicam tranquillitatem adeo sunt inutiles, ut Turca quoque feratur Lutheranorum nomen execrari, seditionis odio, quum Christianos toleret, ab ipsius dogmatibus alienos. Quid hic commemorem, quanta inter Evangelistas (sic enim ipsi se vocant) dissensio, quam atrox odium, quam amarulenta contentio, immo quanta inconstantia, quum ipse Lutherus toties mutarit sua placita: Et subinde noua Paradoxa suppullulent.

Promittit sibi mirificam apud posteros memoriam. At ego potius auguror futurum, ut nullo nomen sub Sole fuerit vnquam execrabilius Lutheri nomine, & apud Papistas & apud Antipapistas. Mundi Principes, huic mundo deditos irritauit, causam emendandae disciplinae Ecclesiasticae, cui fauebant optimi quique: sic exulcerauit, ut & aduersoriorum vires auxerit, & malum reddiderit immedicabile. Quod, ni Deus velut è machina succurrerit, nunquam sopietur, nisi maxima Christiani sanguinis effusione. Primitias iam vidimus in rusticis. Et hoc statu rerum ille ludic

Quales discipuli Lutheri.

Execrabile nomen Luth.

*multis an-
nis Nouum
Testamentum
Luth.*

*Nouū Testa-
mentum Em-
seri.*

dictariis, in quos lubitum est. Hæc & id genus
multa Erasmus. Ad quæ sane omnia sic obmu-
tuit Lutherus, vt nullo deinceps verbo. Erasmus
amplius irritare fuerit ausus, licet audacissi-
mus alioqui extiterit. Cum autem nouum Te-
stamentum, à Luthero in Germanicam linguam
uersum, ac multis in locis deprauatum, & per
falsas Annotationes ad confirmandas hæreses
eius adornatum, multisq; milibus exemplarum
per Chalcographos adactum & euulgatum,
vbiq; circumferretur venale: & inclytus ac ma-
xime Catholicus Princeps, Dux Saxonie Geor-
gius, constantissime illud non solum reuocaret
priuatim, sed & publicis Edictis interdiceret
subditis suis, per omnem suam in Turingia Mil-
niâq; & Saxonia ditionem: atque ex hoc graui
inuidiam, odiumque & obrectationem à Lu-
theranis pateretur, tanquam is, qui Tyrannice,
opprimeret verbum Dei, & persequeretur Eu-
angelium Christi. Hinc factum est, vt illi fide-
lis ac deuotus Capellanus, Hieronymus Emse-
rus, qui iam pridem adiderat Annotationes in
Lutheri Testamentum nouum, ac de multis er-
roribus palam conuicerat: Nouum Testamentum, ex
recepta & approbata per totam Ecclesiam trans-
latione Latina, verterit in Teuthonicum quam
fidelissime, iussu & petitione prædicti Princi-
pis, qui & præfatione sua opus illud maxime co-
mendabile bonis ac piis omnibus reddidit. Vnde
factum est, vt illius æditione frequenti, Lu-
theri Testamentum, & nomen & auctoritatem
magna

magna ex parte apud Germanos perdidit. Inter cætera enim Princeps ille sic ait in prologo Teuthonico.

Ea propter nos maturo ac deliberato consilio, atque etiam ex mandato & commissione Romanæ Cæsareæ Maiestatis, CAROLI V. Domini nostri omnium Clementissimi, dictâ Lutheri interpretationem ac nouum Testamentum, dilectis fidelibusque nostris subditis, ad euitandas pœnas & damna, tum corporis tum animæ, intentione prorsus paterna debitaque bona, interdiximus, atque etiam è manibus eripimus: Id quod Lutherus cum nonnullis complicibus suis nobis pessime imputantes, criminati sunt nos, velut Tyrannum ac persecutorem & hostem sancti Euangelij ac verbi Dei, qui illud liberè legi ac prædicari in terris nostris non permittamus. In quo sane iniquissime nobis molesti sunt. Speramus enim in Domino, omnes qui nos recte cognoscunt, non aliter percepisse vnquam, quam nos Euangelium ac verbum Dei, quomodo ab Ecclesia Catholica receptum est, libenter audiisse. Vtinam & facto illud sequuti simus, quod tamen facere, quantum gratiæ nobis contulit Deus, studuimus, ac de cætero studebimus pro virili. Neque igitur verum Euangelium, neque verum verbum Dei, sed duntaxat Lutheri, aliorumque pseudo Euangelicorum Concionatorum, fallaces doctrinas, sermonesque & scripturas, in terris nostris suppressere intendimus. In quo sane pro-

*Verba Ducis
Georgij in
Prologo No.
Testa.*

*Fructus Euā
gelij Luth.*

posito constanter, Deo volente, per diuinam gratiam, vsque in finem perseuerabimus. Speramus item & confidimus, eos quoque quibus ignoti sumus, & qui post nos venturi sunt, ex subsequenti commemoratione fructuum, qui ex Lutheri aliorumq; Suermerorum doctrinis enati sunt: nos facile excusatos in hoc habituros esse. Quamuis enim Lutherus rem primo sub prætextu cuiusdam Reformationis & emendationis abusuum, qui apud & Ecclesiasticos & sæculares radices egerunt, inceperit: verbis tamen ac factis mox indicauit, sese non intendere rem emendare, sed prorsus euertere. Quemadmodum sæpe gloriatur, eo se rem perducturum esse (neque item vlli ad hoc labori pepercit, & de hoc maxime proteruiuit) vt intra paucos annos nullum Templum, Collegium, sacellum aut Monasterium: nullus presbyter, Monachus, aut Monialis: nullus item Episcopus, aut Princeps, sub cælo permanere debeat. Neq; in his contentus, verum etiam totam Ecclesiam Catholicam, ac sanctam fidem nostram, partim per seipsum, partim per suos sequaces Suermeros, ac pseudo Euangelistas, penitus extinguere. Et non modo Diuos, verum etiam Christum ipsum è cælo propellere, conatus est: Quemadmodum & factò vnum post alterum adorti, primum Doctores Scholasticos, deinde & veteres sanctos Doctores, quos Ecclesiasticos vocant: Quorum scripta, Canones & Decreta (quæ ad ædificationem Ecclesiæ à spiritu sancto

sancto eis indita fuerūt) ignibus publice combusserunt: sanctorum imagines & crucifixi statuas, quæ non pro Idolis, sed pro memoria dūtaxat ad plebis excitandam deuotionem, erectæ sunt, destruxerunt ac dissecuerunt, non modo in viis publicis, verum etiam in Templis. Omnia bona opera, qualia sunt, Virginalis castitas, ieiunia, orationes, festa, visitationes Ecclesiarum, professiones, lætaniæ, Matutinæ, Vesperæ, ac aliæ horæ Canonica: Ad hæc, Vigiliæ, Missæ pro defunctis, Exequiæ, Tricesimi, Anniuersarij, & quicquid ab Ecclesia in suffragiū piis animabus peragitur, simul cum omnibus antiquitus obseruatis ritibus & Cæremoniis, non solum scelerate hoccifecerunt: verum etiā prorsus abtrogarunt & omiserunt. Præterea vsque adeo carnales ac feri facti sunt, vt etiam sacris Sextis feriis, aliisq; ieiunij præcepti diebus non ex necessitate, sed ex mera petulantia, & in Ecclesiæ despectum, carnibus cibent & vescantur. Rogant in superac desiderant, vt post mortem non in locum sacratum, sed in prophanum, sicut aliud animal irrationale, sepeliantur: nec aliquid boni pro eis fiat, neque etiam pro ipsis oretur. Atque vt in his omnibus impuniri permaneant, Conciliorum quoque & Ecclesiæ potestatem omnem prostrauerunt, ac vulgari populo id potestatis tradiderunt, non solum super scripturis & Conciliis: verum etiam super vtraque superioritate, tum Ecclesiastica, tum seculari, ad iudicandum ac puniē-

Carnalis bestialitas Intheraorum.

dum. Ac deinceps temerè aggressi sunt, non solum Cæremonias & Sacramentalia: Qualia sunt benedictio aquæ, salis, herbarum, candelarum, & id genus aliorum, quæ (vt Paulus ait) per orationem & verbum Dei, in templo sanctificantur: abrogare, Verum etiam ipsa Sacramenta arroganter inuasere. Quorum aliqua profusè reiecerunt, vt pro nullo habeant Sacramento, veluti cõfirmationem, Extremam vnctionem, sacros Ordines, Confessionemque cum penitentia & satisfactione: Cætera vero variis multisque modis ac formis immutant ac pervertunt &c. Adidit anno illo Lutherus Teuthonicam consolationem, ad populum Hallensem in Saxonia, super interitu Concionatoris eorum, Georgij, qui Asciburgium euocatus à Principe suo, in reditu fuit à quibusdam Equitibus, dum per vastam syluam iter faceret, repente interfectus. Nec satis constat, quam ob causam, nisi quod crebrior fama erat, illum occultè contraxisse coniugium, cum opulenta quadam & nobili muliere vetula, cuius Consanguinei, tunc propter illicitum coniugium, tum propter mulieris bona, quæ presbyter ille coniugij prætextu ambiebat, illius iter obseruantes, eum sic interfecerint: non latrocinandì, sed vindicandi aut scandali præcauendi studio. Mox enim vt interfecerunt, aufugerunt per auia loca, nihil præde aut pecuniæ rapientes sibi. Lutherus vero eam necem imputabat Dominis Capitularibus, Metropolitanæ Ecclesiæ Moguntinæ, tanquàm eorum

*Liber Lut.
de interfecto
concionatore
Hallensi.*

um machinatione parata fuerint Georgio illi (qui tamen nihil ad eos pertinebat) insidia. In ter caetera enim sic ait. Prima igitur pars consolationis nostrae est, quod scimus, quisnam sit latro, qui dilectum fratrem nostrum, Georgium, interfecit, nempe Diabolus: Quamuis scire non possimus, quinam sint Domicelli, qui istud iusserint, aut quanam fuerint manus aut arma, quae perfecerunt. Audio enim Episcopum Moguntinum vehementer excusari velut innocentem: Quod & ex corde opto, atque ita esse sino. Cunque plures nouerim Episcopos, qui bene agerent aliter, si eis per sui Capituli Tyrannos liceret: propensior profecto mihi est animus, si vtrum credendum sit, vt credam potius: Capituli Mogontini Tyrannos, eiusmodi homicidium in dominum Georgium subornasse: Na haud ita diu longe maiorem caedem intendebant, quando homicidali consilio suo, per nobilem sanguinem, Caesarem Carolum, Germaniae Principes contra se inuicem concitare, atque Germaniam sanguinis diluuium inundare, studuerunt: vt suas meretrices, suosque ventres libidinosos, in pace ac voluptate secure fouere queant. Qui totam prouinciam in caedem ac sanguinem adigere intendit, is pro leui nimirum habet, si vnum interficiat virum. Deus autem homicidalibus & sanguinem sitientibus canibus illis, aualitiam eam tunc prohibuit. Hi sunt ergo Ecclesiastici sancti homines, qui Missis & orationibus Christianitatem sustentant, ac

*Calumnia
Lut. in Canō
nicos Capituli
Moguntini.*

antiquo præterea homicidæ, deo suo, Diabolo totum mundum prodicionibus ac homicidiis offerre intendant ac desiderant & c

Excusatio Capituli per Cochlaeum.

Hicce Lutheri calumniis Ioannes Cochlaeus, dum Moguntiaæ ageret, confestim ædito libello itidem Teuthonico respondit, atque præter alia scelera, quæ illi obiicit & commemorat plurima, quibus in Archiepiscopum & eius Capitulum malitiosissime machinatus fuerat, sic ait. Quamlibet vehementer furit, mentitur ac criminatur mendax Monachus: at tamen nihil prorsus inhonesti aut reprehensibilis est in eo consilio, in quod ipse tam furibunde conueniatur & clamat, Vnusquisque enim potest superiores suos pro consilio & auxilio implorare, ad manutenendum quæ sua sunt, suumque ius conseruandum, absque cuiuslibet præiudicio ac detrimento. Atqui malitiosus Monachus plus voluptatis habet in excitandis ac dandis malis, vno post alterum, magisque laudat eos, qui Collegiis, Monasteriisque & Ecclesiis debitos census, redditusque & decimas denegant, adimunt, alienant, atque vi contra Deum & contra phas Et ius omne rapiunt, sibi que usurpant: quàm illos, qui nemini quod suum est auferre conantur, sua autem conseruare desiderant. Cunque Ecclesiasticis in vtroque iure multiphariam interdictum sit, ne bona sua redditusque & census vendant aut alienent: Lutherus vocat eos homicidas ac proditores, dum nolunt pati aut permittere, vt bo-

De rebus Ecclesiasticis non alienandis.

na Ecclesiastica, quæ à piis hominibus ad cul-
tum Dei donata sunt, ab aliis rapiantur, alienen-
tur, & à cultu diuino ad mundanam super-
biam, ad scortationes, ad comestationes trans-
ferantur. Cum igitur ipsis & eiusmodi bona
non liceat vendere nec donare, quomodo tace-
ant aut conuieant, si alii ea contra ius, vi ra-
pere, detinere, aut alienare, moliantur? O egre-
gium igitur legislatorem, Moysenque Teutho-
nicum, Lutherum. Quando autem suæ timebar
cuti, & propterea Principibus adulabatur, ac
rusticos criminabatur, ita tum scripsit. Rustici
nostri volunt aliorum bona facere communia,
& sua sibi propria retinere: Pulchri sane Chri-
stiani. Arbitror (inquit) nullum Diabolum esse
in inferno, sed omnes euolasse in rusticos: fur-
or iste supra omnem & modum & mensuram
est &c. Non inique quidem loquitur hic Luthe-
ros, quamuis iniquissime talia rusticos antea do-
cuerit. Quemadmodum ego clare ex scriptis
eius ostendi, quando eius in rusticos libello re-
spodi. Arbitror vero longe iniquius esse,
quod aliqui bona sua propria retinent, & Ecce-
siarum quoque bona rapiunt, sibi que velut pro-
pria retinent, qui Luthero in hoc maxime pla-
cent: Quam tamen longe tolerabilius foret,
& a vitio auariciæ alienius, si Ecclesiastica bo-
na, non in propriam, sed in communem (si
cut rustici volebant) vtilitatem, si ab alienanda
aut rapienda essent, venterentur. Sed vtrunque
côtra Deum est, & cõtra omne ius. Nam in vero

*verba Luthe-
ri contra rusa-
ticos.*

*Temerarius
& mēdax ac
cusator Luth.*

Euangelio ait Christus. Date Deo quæ Dei sunt & Cæsari quæ Cæsaris sunt. At non ait. Rapite ea quæ Dei sunt, & date Cæsari aut mundanis Principibus. Qui ergo verus vult esse Christianus, nulli hominum, multo minus Deo, quod suum est rapere aut furari debet, sed potius dare, quàm auferre. & infra. Ait falsus & mendax accusator. Certum ergo est, Sathanam id fecisse. Capitulum Moguntinum non scio pro certo accusare &c. Quis iudicum ex huiusmodi accusatione contra bonos Dominos, Venerabilis Capituli Moguntini, sententiam laturus est, in tam magna causa Capitali, quæ corpus & vitam, honorem & substantiam tangit, Cum ius commune dicitur, quod in eiusmodi causis probationes debeant esse luce meridiana clariores? Si ergo Lutherus non scit dictum Capitulum pro certo accusare, quomodo audet eos appellare Tyrānos & Sicarios? An satis probationis est, quod ait, Sicut audio, non scio pro certo, sic informatus sum? Immo (inquit) vocauerunt eum ex aliena Diœcesi, vt Magdaburgensi: in aliam, vt Moguntinam, ad cuius tamen Iurisdictionem non pertinebat. Ad hæc eum etiam interficiunt occulte ac proditorie in itinere. Ita enim informatus sum &c. Quomodo autem sciet aut poterit Lutherus probare, Capitulum Moguntinum euocasse Georgium illum Asciburgium? Quid negotii haeret Capitulum Moguntinum cum Magdaburgo aut Hallis, & cum illarum ciuitatum Concionatoribus? Lutherus vero est

vt ait, informatus, illum per Episcopi literas
 euocatum fuisse. O nequissimum os conuitio-
 rum, quod Principes & dominos tam cito Sica-
 rios & occultos latrones nominare auder, cum
 non possit, neque maximum neque minimum
 punctum, nec primum nec vltimum articulum
 tam saxe accusationis probare &c.

*Vrbs Roma à
 Cæs. exercitu
 capta.*

Fuit annus ille non solum Germaniæ, ve-
 rum etiam Italiæ: in primis Domina rerum,
 & Capiti Imperii, vrbi Romæ, grauis & exitia-
 lis. Nam vbi Papa, omisso Cæsare, cum Rege
 Franciæ, & cum Veneris ac Florentinis, fœdus
 inniuisset: Capitaneus Cæsaris, Dux Borboniæ,
 qui Italico præerat exercitui, cœpit infestus esse
 castellis, atque etiam vicis & urbibus Papæ.
 Verum vt vidit se hostium coniunctis viri-
 bus imparem, suisque & comeatum & pecu-
 niam deficere decreuit vltimam experiri fortu-
 nam. Subito igitur duxit exercitum suum ex a-
 gro Bononiensi, versus Romam ipsam, quo &
 citius peruenit, quàm suspicabatur: & mox, vt
 ad mœnia peruenit Quinta die Maii, quæ erat
 Dominica tertia Paschæ, misit Fœcialem in
 urbem, vt peteret transitum tutum & comnea-
 tum, quo denegato, rursus misit, vt peteret urbem
 dedi Cæsari. Verum à Capiteo Papæ reiectus
 & contemptus, rediit ad Ducem, qui mox inito
 cum suis consilio, statuit, primo diluculo urbem
 Leoninam, quæ Burgum dicitur, oppugnare.
 Nec defuit audētibus fortuna: Statim enim His

Cadesin vrbe
capta

pani conscenderūt in muros, et Germani perfor-
gerunt portā, quæ Hospitali sancti spiritus pro-
ximior erat. Veruntamen Dux ipse, victoria au-
tor victoria diu potiri non potuit. Ictu enim Bo-
barde in oppugnatione mœniū percussus, mox
in hora illaperiit victor. Milites autem, qui
sciebāt nullam sibi superesse salutem, ni fortissi-
me cæptam victoriam prosequeretur (Nam fo-
ris Dux Urbini grandem in eos ducebat exerci-
tum Venetorum et Gallorum, et intus non pau-
ci, tum equites tum pedites, stabant à parte Pa-
pæ et Romanorum) irrūpentes vi glomerati
ferro ad omnia sibi aditum parabant, cæsis ob-
uiis quibusque Papæ & iis, qui cum eo erāt in Pa-
latio, vix dabatur effugiendi in Molem Adriani
(quam Castellam S. Angeli vocāt) spaciū. Mil-
ites itaque Germani & Hispani, in ea pugna nul-
lum habentes sacrorum respectum, plurimos oc-
ciderunt, non solum in atrio & porticu Basilicę
S. Petri, verum etiam in ipso tēplo: atque adeo
& circa sacratissima altaria, & circa memorias
& monumenta Apostolorum, aliorumque Di-
uorum, plurimum sanguinis effuderunt. Deu-
stato itaque Burgo, mox in eam Romę partem
quæ trans Tyberim dicitur, irruerunt, in præ-
dam omnia rapientes, & vitæ redemptionem à
quibuslibet extorquentes. Cūctis itaque subito
& inopinato terrore percussis, eodem victorie
imperii, eodem die irruerunt & in magnam Ro-
mam, per portam Sixtinam, vbi multo minus ce-
dis quàm in Burgo, sed lōge plus præda fuit &
pecuniæ

pecunia. Quia propulso in Castellum Papa, ne
 mo victori exercitui arma impune opponeret.
 Plus itaque deditiois, quam praelii fuit. Roma
 ergo sic obrenta, captaque ac peruersa, miles
 absque Duce ferox & effrenis, in praedam om-
 nia vsurpauit, sacra iuxta atque prophana. Ne-
 minem a direptione militari salutauit deditio,
 neminem sacer locus, neminem Cæsaris aut Na-
 tionis nomen aut fauor. Omnes incolæ, siue
 Romani essent, siue Hispani aut Germani, amif-
 sis rebus omnibus, corpora quoque propria &
 vitam, iuxta æstimationem ab irato & insultante
 victore taxatam, redimere coacti sunt: pars in
 tormentis & immanissimo cruciatu defecit, vi-
 tam simul cum pecuniis relinquens: pars semel
 redempta, ne rursus æstimaretur, abiit vltro re-
 lectis omnibus. Mam contingit haud ita raro,
 eundem seu ciuem seu incolam, aut Curialem,
 nunc ab Hispanis, nunc a Germanis capi, torqueri
 æstimari ac ære mutuato redimi. Irrepserat
 in eum exercitum per quosdam Germanos lues
 Lutherana: qui sane milites infecti, omnia sacra
 despectui habebant. Sacros calices haudsecus
 quam in prophanos attrectabãt ac diripiebant: Ve-
 nerabile Sacramentum abiicientes, pixides &
 Monstrantias argenteas rapiebant subiit sacras
 vestes, in ludibrium religionis nostræ, prophana-
 nis induebant Lixis & Calonibus: Venerandas
 Diuorum reliquias, velut ossa canum reijciebãt
 abrepto argëto. Sacras ite virgines, haud secus
 que meretrices adstuprũ rapiebãt, Quidã Luth.

*Milites Lu-
therani.*

cam historiam Teuthonice describens, affirmat, Germanum quendam militem, qui dicebatur vitidis sylua verso ad Castellum S. Angeli ore, proclamasse, in voto sibi esse, vt ex corpore Papæ frustum deuoret, quod Luthero nunciare posset, eò quod Papa verbum Dei hactenus impediuerit. Addit, milites ex veteri Capella Papæ, in quo eius Cantores quotidie Missam & horas Canonicas cantare solebant, fecisse stabulum equorum, quibus Bullas ac literas Papales substrauerint. Addit, milites Papæ ac Cardinalium vestes ac pileos, in eorum opprobrium induisse, fictumque creasse Papam ex Landesknechto, qui dixerit in ficto suorum Cardinalium cœteris cōsistorio, se donare Papatū Lutho quisquis militum id approbet, dextrā in altū tollat, milites itaque leuasse manum, ac exclamasse, Lutherus Papa. Luther, Papa. Athæc omnia ignorente Cæsare perpetrata fuerunt, nec ea vnquam approbavit aut rata habuit, quæcunque milites illi ac metu à papa & Cardinalibus extorserunt. Quamuis vero ea præda omnium opulentissima fuerit, quanta sane Germano militi intra C. aut CCC. annos, nunquam ex vlla oppugnatione & pugna obuenerit: at tamen per paucos militum Germanorum ex tantis opibus dilati sunt: bona pars omnia sua ludendo perdidit, magna pars peste aut caumate periit, pars ictu Bombardarum vitam cum præda reliquit. Maximum vero damnum, quod eruditi præcipue deplorant, datum est à barbaris militibus in Bibliotheca vaticani

Pauci ex præda illa ditati sunt milites Germani.

Cōfissio selectum in Germania.

Vaticani ad S. Petrum, vbi preciosissimus erat librorum thesaurus, quos magna ex parte furor barbaricus disperdidit, dissecauit, aut vilissime distraxit. Papa insuper in castello diu obsessus grauisimis tandem conditionibus pacem à militibus illis redemit. Verum Cæsar nihil eorum ratum aut gratum habuit, sed Papam, quàm primum potuit, in pristinam libertatem restituit, dolentibus ac frementibus Lutheranis, quod isto Euangelii sui fructu diutius gaudere ac frui non possent. Erat tum Romæ Italus quidam, sacco indutus, qui ante captam urbem sæpe prædicauerat, graue imminere vrbi exitium nisi homines prauam vitam corrigerent, ac penitentiam agentes, iram Dei precibus auerterent. Cunque id sæpe fecisset magnis clamoribus in publico, compræhensus, & in carcerem coniectus, ibique detentus fuit, donec Deus re ipsa comprobauit, quod ille prædixerat. Dimissus vero è carcere a militibus, eis quoque prædixit, breue fore eorum gaudium ex illa præda. Cum igitur euenirent ea, quæ prædixerat, creditus est prophetiæ habere spiritum, quem & vitæ austeritate probauit, Ioannis Baptistæ nomen habens, & uitæ institutum sequens

Interim vero Germania fœde confundebatur funestis sectarum dissensionibus. Ad quas sane opprimendas, non solum Catholici Principes & Doctores, verum etiam Lutherani plerique adnitebantur. Nam & Saxonix Dux Elector, in Sacramentarios & in Anaba

Confusio sectarum in Germania.

ptistas, publice animadvertēbat carcere, multa, supplicio, Et Lutherus ipse in Zuinglium & Oecolampadium, aliosque novos Vviclephistas, bene prolixum ædidiit librum Teuthonicū cui hunc inscripsit titulum. Quod hæc verba Christi: Hoc est corpus meum &c. adhuc firmiter stent, contra Suermericos spiritus. Multa igitur de Suermeris eo in libro quæritur, suæ interiorum iactantiæ minime oblitus aut dissimulans. Sic enim ait. Nunc temporibus nostris, quam videremus scripturam sub scamno iacere, ac Diabolum mero stramine ac feno humanorum præceptorum nos tenere captiuos atque illudere: Voluimus per gratiam Dei huic rei consulere: & profecto cum ingenti ac difficili labore reduximus in lucem scripturam, humanisque præceptis vale diximus, nosque liberos fecimus & Diabolum effugimus, quamuis egregie relictiterit atque adhuc resistat, Attamen artis suæ ni obliuiscitur, & inter nos quoque aliquid seminis sui occulte immiscuit. At circa hoc non subsistet, sed incipit à minimis, nempe à Sacramentis. Quamuis ea in re scripturam in Decem ferme foramina atque effugia iam lacerauerit, vt ego turpiorem heresim legerim, nunquam, que in initio tot inter sese capita tot sectas habuerit. Etiam si in principali causa, vt pote, in persequendo Christum vnanimis existat. At vterius procedet, pluresque aggredietur articulos: Quæ admodum iam oculis scintillat, Baptismū, Originale peccatum atque Christum nihil esse. Hic rursus

*Verba Lutheri
si contra Zuinglium & Oecolampadium*

*Querela Lutheri
contra astutias diaboli.*

rufus erit in scriptura tumultus, ac tanta discordia, tot sectæ, vt cum Paulo bene possimus dicere, mysteriū iniquitatis iam operatur, quod multæ post eum sectæ essent futuræ. Et post pauca. Video hac in causa nihil aliud, quàm iram Dei, qui Diabolo frena relaxat, ad excitandos huiusmodi a deo crassos rudesque errores, ac tenebras palpabiles: vt puniat turpem nostram ingratiudinem, qui sanctum Euangelium tam vile atque contemptum habuimus, vt iniquitati, sicut Paulus ait, credamus, eò quod charitatem veritatis non recepimus.

Novitas gratia plebi.

Neque deest Suermeritati huic quicquam, nisi quod noua est. Nos enim Germani tales socii sumus, Quicquid nouum est, arripimus, eique adharemus velut fatui. Si quis prohibet, is nos ad hoc furentiores reddit: Sin nemo prohibeat, nos ipsi statim exatiamur & fastidimus: inhiantes subinde ad aliud nouum quia. Diabolus vero id prærogatiuæ habet, vt nulla doctrina nullumque somnium tam ineptum exoriri potest, quin ad illud reperiat discipulos, & quanto ineptius, tanto citius. At solum verbum Dei manet in æternum: Errores circa ipsum semper oriuntur, & occidunt. Et infra post multa.

Criminatur Lutherus barbariam Germanorum

Super hunc sermonem alios forsitan Suermeros acquiram, qui me capiant, & dicant. Si Christi corpus in omni loco est, ergo illud deuorabo & potabo in omnibus tabernis, ex omnibus scutellis, vittis & cantharis. Et sic nulla erit differentia inter meam & Domini mensam. Huiusquam egregie cum deuorabimus. Tam turpes

pes enim porci sumus nos infœlices ac perditissimi
 Germani maiori ex parte, vt neque disciplinam
 neque rationem habeamus: & quando de Deo
 quicquam audimus, reputamus perinde ac si
 sent histrionum fabulæ. Talia nunc & dicta &
 facta contra Sacramentum istud reperuntur,
 in plebe quæ per Suermerorum doctrinam se-
 ducta est, vt potius mori quis debeat, quam vel
 vnum ad eos scribere sermonem. Nam mos
 prouertunt, quando audiunt, nihil esse, & volunt
 in illud cacare, ac nates ex eo tergere. Sæcularis
 potestas deberet eiusmodi blasphematores pun-
 nire: impudentia est & audax temeritas. Cum
 profus nihil de eo sciant, & tamen hunc in mo-
 dum blasphemant. Et nouit Deus, me huiusmo-
 di altas res inuicem scribere, quando oportet tali-
 bus proiici canibus & porcis. At quid faciam?
 Suermeri de hoc rationem reddent, qui ad hanc
 me cogunt. Audisne iam porce aut Suermere,
 aut quisquis es irrationalis Asine, Etiam si Christi
 corpus ubique sit, illud tamen propterea nõ
 statim deuorabis, nec potabis, nec palpabis. Ne-
 que ego tecum de iisce rebus loquor, vade in tu-
 um stabulum porce, aut in tuum sterquilinum
 &c. Tale igitur erat tum Lutheri de Germa-
 nis iudicium, quando plurimos à sua secta ad
 novos Suermeros transire videbat. Quibus ta-
 men paucos ante annos, dum sibi adhaerere, vt
 vltro tradebat, facultatem iudicandi de omni
 doctrina, ac de omnibus, etiam Papæ & Genera-
 lium Cõciliorum Decretis. Contra eum veto
 librum

*Sæc. 2. v. 10.
 gl. 10.*

librum eius mox ad Principes eius, Electorem Saxoniam, & Hassiam Lantgraviam, alios scripserunt Teuthonice libros, Vlricus Zuinglius, & Ioannes Oecolampadius, qui Carolstadii opinionem de Venerabili Sacramento tuebantur. Qui & semper, quoad vixerunt, aduersabantur ei, nec paucos habebant complices, praesertim Argentina, Basilea, Constantia, Vlma, Augusta Turici ac Bernae. Quos tamen omnes euidentissime confutauit & conuicit Reuerend⁹ Pater Ioannes Fyscherus, Episcopus Roffensis in Anglia, libris Quinque: & Iodocus Clichtoueus, Theologus eximius in Gallia, libris duobus, quibus nemo eorum haecenus respondit. Transtulit quidem Fyscheri Quinque prologos in Teuthonicum Ioannes Cochlaeus: Verum tanta est dementata plebis peruersitas & pertinax adhaesio, vt nihil in contrarium vel audire vel legere dignentur, ne de opinione semel concepta, vacillare aut dubitare quicquam videantur. Nonus praeterea insurrexit pseudopropheta Vuormaciae, Iacobus Kautius, cui nomen est Germanicum à Bubone, de quo ait Ouidius.

*Libri contra
Zuinglianos.*

*Iacobus
Kautius.*

Ignauus Bubo dirū mortalibus omē.

Hic quum esset Germanice facundus Concionator, traxit populum sequacem aurium pruritus in quemlibet errorem, quocumque volebat. Vnde factum est, vt breui sicinualuerit tibi non solum contra Lutheranos, verum etiam contra Senatum: vt ne vicinū quidem Principem

cipem, licet potentissimum, Ducem Ludou-
 cum, Comitem Palatinum Rheni, Imperique
 Electorem, illius urbis protectorem, reueretur.
 His enim verbis in publica Concione contra
 eum inuehebatur. Non expelles me, in-
 quit, nec permittam me à te expelli. Ratio,
 quia me non recepisti: Immo si velis expelle-
 re me, quem non recepisti, non permissurus sum
 ego, etiam si Mille Capita propter hoc petire
 debeant. At dicis, Me nihil aliud, nisi quod ad
 seditionem potestatumque oppressionem ten-
 dat, prædicasse ac docuisse: Ob id nimirum,
 quod dico tibi, Regimen ac potestatem tuam
 esse contra Verbum Dei, & non ex Deo, sed ex
 viuo Diabolo esse. Non igitur expelles me hinc
 nisi prius hæc regio tota, ac regna insuper ad-
 quot, propterea deuasentur. Dico tibi, quia
 huc à Domino destinatus sum ad te docendum.
 Hæc kautius, qui & ante biennium rusticis tu-
 multuantibus, & conscius & consiliarius fuisse
 dicitur. Quum vero reclamarent fortiter ex pu-
 blico suggestu ad suos Lutherani duo, kautius
 septem articulos publice affixit, quos coram
 plebe contra illos disputatorum se polliceba-
 tur: Quibus & illi totidem articulos publice op-
 ponebant, ut parum abesse videretur ea conten-
 tio à seditione. Palatinus vero Elector, tantum
 effecit, ut paulo post utriusque aduersarii ex urbe
 illa pellerentur. Interim kautianos igitur articulos
 duo erant præcipui, Tertius & Quartus: quia spie-
 tate præ cæteris insignes. Tertius enim ita habe-

*Verba Kautii
 contra Palatinum
 latinum elec-
 torem.*

*Duo varianti-
 tale Kautii.*

bat Baptismus paruulorū a Deo prorsus non est
 sed directe cōtra Deū, & contra Dei doctrinā
 quæ nobis per Christum Iesum filium eius pro
 lata est. Quattus vero sic. In Sacramento seu cœ
 na Domini, neque est substantiale corpus aut
 sanguis Christi, neque vsus illius hic vnquam
 rite est celebratus. Hos ergo articulos vbi Mo
 guntia vidisset Cochlaus, mox ædidiit libellum
 Teuthonicum ad Senatum Vuormaciensem,
 velut vicinus officiosus, reprobans vtriusque
 partis articulos breuiter, & pro Baptismo par
 uulorum, elegantem Cypriani Epistolam ad
 Fidum Episcopum scriptam Germanice reci
 tans: vt intelligerent, paruulorum Baptismum
 semper in Ecclesia Christi fuisse. Ad articulos
 vero breuiter in hunc modum respondit. Inter
 tio (inquit) articulo cautius omnino Paganus
 est: nulquam enim prohibitum est baptizari par
 uulos, & semper in Ecclesia fuit paruulorum
 Baptismus. Id quod insignis martyr Diuus Cy
 prianus libro 3. Epistola 8. ad Fidum, multis de
 monstrat tum scripturis tum rationibus. Sed &
 palam aduersatur & ipsi Christo & sacratissi
 mæ eius doctrine, verare, ne paruuli baptizen
 tur. Christus enim iubet baptizare omnes gen
 tes, neminem excipiens, neque senem neque iu
 uenē. Et dicit. Nisi quis renatus fuerit ex aqua &
 spiritu sãcto intrare in regnū Dei, lob. nō potest
 3 Quinimmo speciatim expressit paruulos, do
 cens Matth. 19. Sinite paruulos, & nolite eos pro
 hibere venire ad me: taliū est enim regnū cœlo

*Error Luilhe
ri de parvulo-
rum Baptis-
ma.*

rum. At kautius facit hic, sicut alibi fecit occul-
te Lutherus, qui primo peccatum posuit in par-
vulis post Baptisma, ac deinde fatebatur, nisi
pueri habeant fidem propriam, eos baptizari nõ
debere. Nos autem baptizamus parvulos in fi-
de sanctæ matris Eccesię, atque ita tollitur ab
eis omne peccatum per Baptismum. In Quar-
to vero articulo, kautius incredulus est Iudæ-
us. Equum proinde foret, vtei contingeret sicut
sæpe contigit Iudæis, tum in Germania, tum
alibi: Qui Venerabile Sacramentum acubus
compunxerunt, ad explorandum, an sanguinis
ibi contineretur. Et ante CCCC. annos, reuo-
cavit hunc articulum Berengarius hæreticus,
contra quem multi tunc præclari scripti sunt li-
bri. Sed & his nostris temporibus Rex Anglię,
Episcopus item Rossensis, alique nonnulli,
Lutherum, qui sacram conuersionem seu Trans-
substantiationem in hoc abnegat Sacramento:
grauiter ac potenter ex scripturis redarguerunt.
Sequeretur enim ex ea abnegatione, quod cor-
pus & sanguis Christi non essent ibi substan-
tialiter, sicuti non assunt ante verba consecratio-
nis prolata. Vtraque igitur pars iam pridem di-
gna esset, vt in honorem Venerabilis Sacramen-
ti, proscriberetur in extremos fines terræ. Hæc
ibi Cocleus. In epistola vero ad Senatum ista
quoque adiunxit. Christus pro suis rogauit
patrem suum cœlestem in monte Oliueti, vt
sint unũ, sicut & ipse cum patre vnum est, Ioan-
xvii. Quam igitur tot sectę ex Lutheri doctri-
na

*Verba Co-
chlei ad Vuor-
macienses.*

facile sane intelligitis, eam ex Deo non esse, sicut est doctrina & institutio sanctorum patrum Ecclesie Catholice: sed ex patre potius mendaciorum discordiarumque, vti cunctae aliae fuerunt ex eo haereses & schismata. Quum ergo huiusmodi doctrina, quam Lutherani proponunt, non solum ante Centum annos, per Vniuersale Concilium Constantiense, atque in plerisque aliis antea Conciliis: Verum etiam nostris temporibus à tribus summis Pontificibus, ab omnibus totius Christianitatis Vniuersitatibus: immò & à Cæsarea Maestrate, atque adeo à toto Romano Imperio, apud vos in vrbe vestra, ante sex annos damnata sit, & nunc post tantas calamitates, ac post tantum fusi sanguinis, per proprias discordias articulósque contrarios damnet seipsam: Non poterit profecto vllum vobis dari consilium melius, quod vobis, & in anima & in corpore, vel vtilius vel honestius existat, quàm vt semel omnem eorum discordiam à vobis ablegatis, atque errorem vnum simul cum altero ex vrbe vestra pellatis, & sic rursus in antiquam tranquillitatem Catholicamque vnitatem redeatis. At si permiseritis eis, vnum super alium librum contra se inuicem scribere, ac quotidie in concionibus se inuicem lacerare, nunquàm profecto peruenietis ad pacem. Eiusmodi enim scriptio contentiósque finem nullum habet, Ecclesiastes xij. Neque vestrum est, in eiusmodi causis, quæ ad totam spectant Christianitatem, absque consi-

*Verba Co-
ehlei ad Ro-
berum Rid-
lati Angli.*

filio conscientiaque superiorum vestrorum, tum
Ecclesiasticorum tum secularium, vllam ferro
sententiam, finalémq; cognitionem vobis ar-
rogare. Cunque articulos illos vertisset in La-
tinum, his in prefatione ad Robertum Ridleij
insignem Angliæ Theologum, vsus est verbis.
Ne omnino in ciuili atq; ingratus tibi videar,
mitto ad te aliquot articulos nouorum Vuo-
taciae Euangelistarum, quos his diebus Ten-
thonice magno supercilio & publice affixerunt
valuis, & stentoreis concionibus ebuccinauerunt
ex suggesto. Mitto igitur eos ad te in Lati-
num versos: Non sane vt munusculum (Quis e-
nim rem tam absurdam, adeo que barbarice im-
piam, vice muneris dignam existimet?) sed ve-
lut nouum quid, quale antea forsitan, neque vi-
disti neque audiisti. Videbis enim, in his ape-
te prohiberi Baptismum paruulorum, quem an-
tea nemo Lutheranorum (quod sciam) probi-
buit. Variis quidem impietatibus Baptismo in-
iurius extitit Lutherus, nusquam tamen iussit re-
baptizare, nusquam prohibuit (aperte saltem)
paruulis Baptismum impendi: licet ego ex aliis
causis de Baptismo paruulorum satis longum,
vt puto, in eum scripserim librum. Vt igitur &
reliqui eius impietatum socij, aliquid agere vi-
deantur, comminiscuntur die noctuq; aliquid
nouum, vnde & ipsi nomen acquirat. Sciunt enim
Lutherum non nisi ex impietatibus nomen gran-
de sibi parasse: Quum antea tam obscuri fuerit
nominis, vt ne vicinis quidem Dresda aut Lipsia
notus

notus extiterit. Quinimmò neq; parentib⁹ eius
 notum fuit antea nomen istud Lutherus. Non
 enim Lutherus, sed Luder à parentibus diceba-
 tur, & ipse sub initium huius Tragœdiæ, nomi-
 nabatur à seipso, nunc Ludder, nunc Luter: Sed
 augustius tandem visum est nomē LVTHE-
 RVS, vt pro amplianda & prophetæ & Euan-
 gelistæ Germanici Maiestate, sacrum istud no-
 men vbiq; grandioribus describeretur literis.
 Simili nimirum auspicio, pariq; omine prorū-
 pit nunc Kautius: Cui nomen Teuthonicū ab
 aue, reliquis aibus maxime inuisa, inditū ex-
 istit. Ego Deum precor, vt omen auertat. Mihi
 certe longe abominabilius videtur nomē Kau-
 tij, quàm Lutheri. Quandoquidem hic in septē
 duntaxat articulis plus impietatis proferat,
 quàm protulerit olim Lutherus in Conclusio-
 nibus XCV. à principio. Quid igitur futurum
 putemus, si tot euomat libros Kautius, post
 hos septem articulos, quot post illas Con-
 clusiones euomuit Lutherus? Quanto forent
 nobis tolerabiliores Poëtica illæ Harpyiæ,
 quæ obscæno volatu fœdabant mensam Æ-
 nez, quàm sit Kautius iste, qui non commu-
 nem mensam, dapésque humanas, sed mensam
 Domini, cibumque vere cœlestem ac diuinum
 garritu nimis diro atque abominabili cōspu-
 cat &c. Circumferebantur & alij noui quorū-
 dam articuli, Octo ex Saxonia, ac totidē ex Mo-
 rauia: Hos Anabaptistæ in Nickelspurgo: Illos
 quidam Apostata Præmonstratenfis Magda-

X ij

*Kautius no-
 men abomina-
 bile.*

*Octo Arti-
 culi impij cō-
 tra Christum.*

burgi se disputaturum pollicebatur. Verique
 vero tanta in Christum ipsum impietate in-
 niebant, ut vel Imperator Iulianus, qui ex Chri-
 stianismo ad Paganismum Apostatice transi-
 uerat, tam foedis & absurdis erroribus vix fu-
 rit obnoxius. Sic enim ait Præmonstratensis
 le. Infernus non est: Christus non descendit ad
 inferna: Sancti Patriarchæ & prophete, non
 fuerunt in Inferno: Christus cum hanc vocem
 dixisset, Heli Heli Lamazabat hani, damnatus
 fuit: quia desperavit &c. Moravi autem illi dice-
 bant, Christum non fuisse verum Deum, sed
 prophetam Nec prædicandum esse eius Euan-
 gelium publice in Ecclesiis, sed solum priu-
 tim in domibus & in aures. Inter Christiani
 nullam Potestatem aut Magistratum esse: Chri-
 stianis omnia esse inter se communia. Dies
 extremi iudicij post biennium futurum esse &c.
 Fuerunt & alij homines, numero CCC. qui pro-
 pe Apocellam in Heluetiis, in editum ascende-
 bant montem, velut assumédi illinc in celum
 cum corpore simul & anima. Quibus Caeode-
 mones ita omnem eripuerant intellectum, &
 abiecto omni pudore humano, in brutorum
 modum congregarentur, ac necessarium esse
 crederent, ut commiscerentur: ita, ut ne virgi-
 nes quidem à tali congressu sibi abstinendum
 putarent. Qualia & in ora Saxoniae circa Bre-
 mam, ex Lutheri doctrina & prædicata & præ-
 dictata fuisse dicuntur. Scripserat enim Luth-
 rus, virum muliere, & mulierem viro, minus ca-

*Mira quorū-
dam insania.*

*Luth. in lib.
de vita coniu-
gali.*

rere posse, quàm cibo, potu & somno: nisi ad ef-
 ferata, ara & miraculosa quædam gratia. Et in
 Suevia captus quidam sacerdos dixerat, finem
 iam Christianæ fidei adesse, aliâque legē tra-
 dendam esse. Nam sicut lex Moyfi M. D. annis
 durauerit: ita & lex Christi totidem annis iam
 durauit: ideo tempus iam esse, vt alia tradatur
 hominibus lex, aliâque fides. Cum hæc & id
 genus alia impia & absurda, passim audirentur
 ac fierent: Plurique Principes rerum indignitate
 commoti, eiusmodi homines non solum in
 vincula coniecerunt, verum etiam extremo ali-
 cubi affecerunt supplicio. Nam Rotæburgi ad
 Neccarum fluuium ex Anabaptistis compræ-
 hensi complures, tum viri tum mulieres, quicū-
 que reuocare & errores suos abiurare nolue-
 runt, vltimo affecti sunt supplicio. Exusti qui-
 dem igne viri Nouem: Aquis vero submersæ
 mulieres Decem. Cæterum doctor & dux
 eorum Michaël Sellarius, Monachus Apostata,
 qui lōge grauius peccauerat: eam in iudicio
 publico sententiam accepit, vt à carnifice pri-
 mu. n excidatur ei lingua blasphema. Deinde su-
 per currum alligato, candentibus forcipibus,
 ex carne eius bis dilacerentur frustra in foro: de-
 inde adhuc Quinquies in via sic lanietur, ac
 tādē in cineres exuratur. Quod & factum est
 die 17. Maij. Grauit̄ enim populum seduxe-
 rat, docens, non esse in Sacramento corpus &
 sanguinem Christi: Non esse baptizandos pue-
 ros: Non esse præstandum iuramētum superio-

*Supplicio affe-
 cti Anaba-
 ptista.*

*Michael
 Sellarius.*

*Dispersio
Anabapti-
starum.*

*Libellus Co-
chlaei de Chri-
sto.*

ribus: Non esse resistendum Turcis: Non esse
inuocandos sanctos &c. Sic & in arce Palatin
Electoris, quæ Alcea dicitur, multi ex ea secta
homines diu fuere detenti, multisque iudiciis
producti, donec tandem aut reuocarēt errores,
aut subirent secundum leges supplicia. Sic &
in Bauaria Salisburgi & Monaci: Sic in Austria
Viennæ: Sic in Turingia Yfennaci: Sic & Au-
gustæ & Vuormaciæ, aliisque in ciuitatibus nõ-
nullis Imperij, plerique in carceribus detenti,
aut suppliciis, aut reuocationibus, ac publicis
pœnitentiis emendati sunt. Cochlaeus ubi Mo-
rauorum vidit articulos, vt Principibus ad oculum
ostēderet, nihil tam impium aut absurdum
excogitari posse, cui nõ queat aliquis ex magna
scripturarum sylua fucus & probationis color
prætexi, si sic liceat vnicuique scripturas novo
modo ad libitum interpretari: Scripsit pro &
contra, ex meris scripturis, An Christus sit vere
Deus, non solum argumenta, verum etiam so-
lutiones in vtranque partem. Et hæc quoque
verba inter alia multa adiecit. Quod si ego (in-
quit) reluctante fide mea, tremente consciētia,
pilisque simul cum mente inhorrescentibus,
contra Deum & saluatorem meum, tot scriptu-
ræ sacræ loca, intra paucas vnus diei horas, col-
ligere, ac in reprobum impiūque sensum de-
torquere potui: Quid obsecro posse putetis istos
Suermeros, qui per hæresim iusto Dei iu-
dicio in reprobū sensum traditi, scripturi sunt,
vt sentiunt, vt credunt, vt erronea fides cōscien-
tiæque

trique eis dicat. Idq; facient serio, ac minime inuiti, sed omni conatu totisque viribus, non solum vno aut altero die, sed omni tempore, quoad victori sunt, nitentur hunc suum articulum quoquo fucō persuadere atq; defendere. Adiungent etiam colores Rhetoricos, afferent tropos simulabunt item ac dissimulabunt plurima. Inferent denique vim scripturis, vt vel inuita trahantur ac subseruiant eorū intentioni: Id quod maxime solent omnes, quos nouerim, Lutherani, præsertim vero ipse Lutherus. Sic enim allegabat contra gratiam Sacramentorum, in primo articulo suæ assertionis. Scriptura dicit (inquit) Rom. 1. Abacuc 2. Heb. 10. Iustus ex fide sua viuet: Non dicit, Iustus ex Sacramentis viuet. Mar. vult. Qui crediderit & baptizatus fuerit. Et Rom. 10. Corde creditur ad iustitiã. Rom. 4. ex Gen. 15. Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiã. Ecce quot sunt hic scripturæ loca, per fucum & fumum attracta, quæ quidem de fide loquuntur, sed articulus loquitur de Sacramentis. Quasi vero contraria sint fides & Sacramenta, perinde atque album & nigrum, quum nihil sint minus. Et in 100. articulis eius, ita habet septimus. Quia sicut minime Christus non est Christus, ita non est Monachus aut sacerdos Christianus esse: quia dominus dicit, Nō veni mittere pacem, sed gl. ium. Quod si ego tā extranea, tamq; falso ac violēto sensu velim citare scripturas, ad persuadēdū, quod Christus non sit Deus: non puto equidē

X iij

*Lutherus
vim scriptu-
ris sepe infert*

difficile mihi fore, vel vno die plus quam DC
loca scripturarum afferre, quæ meliorem pos-
sent habere fucum probationis, quam habeam
iam dicta loca Lutheri. Sed siue ego (quod ab-
sic) siue Suermerorum quispiam alleget ex scri-
pturis vel Decies Centena Millia locorum, con-
tra Deitatem Christi: nihilominus manet vera
ra manebitque in æternum Christus vero deus.
Ad quod sane credendum satis nobis est, con-
tra omnes hæreticorum fucos & argutias, vel
vnicum illud, quamlibet breue, dictum Euan-
gelistæ. Et Deus erat verbum. Et rursus.

*Lutherus ra-
dix amaritu-
dinis sectariorum
multarum.
Deut. 29.
Heb. 12.
Esa. 14.*

Quid prodest, occidere Suermeros rusticos
que Lutheranos, superstitie librosque disse-
nante Lutheri? ipse est enim radix, germinans
(vt Moyses ait) fel & amaritudinem. Ipse est ra-
dix amaritudinis, vti Apostolus vocat, sursum
germinans, per quam inquinantur multi. Ipse
est radix colubri, de qua egrediuntur reguli, quo-
rum nunc sibilos blasphemos nimium exhor-
rescimus. Frustra igitur, O Principes, ramos sur-
culosque malæ huius arboris exciditis, si radi-
cem ipsam, nouo semper fœtu amaritudinis
sursum germinare sinatis. Excisa autem radi-
ce, rami surculique mox vltro marcescerent. Id
enim & ipse fatetur ac iactat. Papistæ putant
(inquit) quod & ego propemodum credo, si nõ
esset Lutherus, Suermeros quam citissime re-
nuēs fore, atque in abditum abrepturos. Quis
uis igitur verbis nunc vehementer contra suos
contēdat Suermeros: re tamē ipsa nihil minus,
immo

*Luth. contra
Epistolam Re-
gis Angliæ.*

immò longe plus nocet ipse, quàm Suermeri. Excitus enim doctrina pullulant illorum articuli. Etenim in Kautianis articulis nos maxime (vt æquum ac pium est) detestamur ac execramur eos, qui baptizari paruulos vetant, & in Eucharistia corpus & sanguinem Christi negant. His autem impietatibus ansam dedit iam olim Lutherus, quando in paruulis baptizatis peccatum post Baptismum: In Eucharistia panem & vinum, post consecrationem remanere docebat. Hæc est illa radix amaritudinis, quam in Kautio nunc sero damnamus, quam ante sex annos damnauit Sedes Apostolica, vosq; cum ea in Luthero. In articulis autem, qui nuper in Morauia euulgati sunt, nihil quidem non maxime detestandum ac execrandum reperio: attamen & illi magna ex parte germen habent à Lutherica radice. Et iterum. O præclarum igitur Lutheranorum Euangelium, Quod secundum Lutherum non est liber legis & doctrinæ Christi, nec requirit bona opera nostra, immò damnat ea. Secundum Ottonem vero Brunfelsium, non habet præcepta aut præceptiones Christi, sed manuuctiones tantum, neque in scripturas censeferi debet, quum sit mera relatio Cabalistica, & surda sine spiritu narratio. Secundum Kautium autem, prohibet baptizare infantes, & adultos rebaptizat, omnemque potestatem ac regimen Principum ex viuo Diabolo, non ex Deo esse docet. Secundum alios denique Suctmeros, aut omnino nihil est, aut in aures tan-

*Quale Euā-
gelium nouum.*

*Quatuor no-
ua Evangelia
sectarum.*

tum atq; in priuatis domibus prædicati debet.
En vobis Principes, Quatuor Euágelia Luth-
ranorum, sic quidem diuersa atque pugnátia, vt
neque inter sese, neque cum nostris conuenire
aut velint aut possint: Quæ nunc simplici plebi,
pro Quatuor Euangeliis nostris, nõ minus ma-
litoso, quàm seditioso perniciosoq; studio, ab
Apostatis ingeruntur, vt omnis fides, paxque &
disciplina Ecclesiastica dissoluatur, funditusq;
intereat, tandem: longe maiore nimirum cũ eia-
de ac pernicie, quàm ante bienniũ passi sumus.
Et infra. Quod si hæc, velut vetera, minus mo-
uent animos vestros, moueant saltem ea, quæ
nunc quotidie fiunt. Quot enim libros episto-
lãque & sermones, de Venerabili Sacramento
Eucharistiæ, contra Ecclesiæ fidem antiquã scri-
psit his annis Lutherus? Quot contra eum viri
Ecclesiastici? Quot hodie & contra eum, & cõ-
tra Ecclesiam, Zuinglius & Oecolampadius?
Quot alij? Ait enim Luther⁹, eam hæresim plus
quàm in Decem sectas iam diuisam esse. Quot
item contra Oecolampadium Zuingliumq; vi-
ri Catholici? Quot Lutherus complicesq; eius?
Quid proficitur tot libris? Quis contentionum
finis? An non multo incertior infirmiorque est
circa illud Sacramentum nunc fides, reuerentia,
deuotioque populi hodie, quàm ante X. annos
fuit? Longe igitur, vt tutius & securius: ita & me-
lius atque salubrius fuisset, in antiqua Ecclesiæ
fide simpliciter permanisse, quàm sic nouam
disputationem contra Ecclesiæ fidem Luthero
per-

*Multitudo
cõtentiosorum
librorum, pro
& contra.*

permisissē. Ex qua nunc tot errores dubiāque male succreuisse videmus. At de Sacramento Eucharistię longe minus habetur in scripturis, quā de Christo. Christus enim scopus est & argumentum, totius & veteris & noui Testamenti scripturę. Sic enim dicebat ipse Apostolis. Quoniam necesse est impleri omnia, quę scripta sunt in lege Moyſi, & Prophetis, & salmis de me. Tanto igitur plures in diuersos sensus de Christo poterunt scribi, tum ab hereticis tum à Catholicis libri, quanto plus de Christo, quā de Eucharistię Sacramento habetur in scripturis. Quid autem vel turpius vel irreligiosius nobis esse queat, quā eum ipsum iam demum in dubium disputationemque vocare, à quo tota salus nostra dependet? Non est (inquit S. Petrus) in alio aliquo salus. Nec enim aliud nomen est sub cęlo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri. Quid de decorosius nobis ad Turcas & Iudęos contingere queat, quā si nunc tandem in nouissimis diebus, de Christo nostro, quem nō vt prophetam, sed vt verum Deum & saluatorem nostrum vnicum colimus, disputando dubitemus, ac dubitando disputemus: à quo Mille iam Quingentisque annis in vniuerso mundo dicti sunt Christiani. Vbi quęso Turcis de Mahumeta suo sic disputare licet: vbi de Moyse Iudęis? Et tamen non habent pro Deo Moyſen, nec ab eo nomen habent Iudęi. Cūque gladij potestatem nusquā habeant, sed vbique seruili-

*Non debent
admitti tam
scandalose
disputationes
de rebus fidei
nostrę.
Luc. 4.*

Act. 4.

ter subiecti, tributa pendant, atque alterius religionis potestatibus subiaceant: ea tamen & reuerentia & diligentia, legem seniorumq; traditiones obseruant, vt inquietis malisque & superbis eorum legisperitis, nusquam liceat, ne latum quidem digitum, vel à Moyse, vel à seniorum traditionibus discedere &c.

*Acta & scripta Lutheri,
Anno Domini.
M.D. XXVIII.*

Liber Lut. cōtra Anabaptistas.

Lutherus autem, vt vidit tam graues inualefcere sectas, propter quas male aualebat, tanquàm prima radix & scaturigo fuit ipse omnibus sectis iisce adeo barbaris: ipse quae in Anabaptistas scripsit Teuthonice. In quo sane libro primum queritur, Principem Anabaptistarum, Doctorem Balthassarum Pacimontanum, iniuste fecisse mentionem Lutheri in libello suo, quasi & ipse consentiat in stultam eius opinionem. Deinde queritur contra Diabolum, quod Decem ora aperiat, vbi vnum claudat Lutherus. Tertio, Catholicis, quos Papietas vocat, imputat istud malum quod non admittunt Euangelium, quia sub sui Principis ditione nulli sint rebaptizatores: Sed mentitur improbus Calumniator, quia Yfennaci sub illo Principe multi fuerunt deprehensi &c.